UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Brevis Expositio Propositionum Damnatarum

Didacus <ab Aragonia>

Venetiis, 1728

Gula.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42653

Visual Library

298. QUæritur. An gratia ſufficiens non ſolum non ſit nobis utilis, ſed potius pernicioſa?

Reſp. Nonnulli affirmarunt, gratiam ſufficientem ſtatui noſtro eſſe potius detrimento, quàm utilitati, atque adeo docuerunt, poſſe nos petere à Deo: *à gratia ſufficienti libera nos Domine;* hic tamen error utpote hæreticalis expreſſe eſt damnatus ab Alexandro VIII. cum propoſ. 6. ratio eſt, quia gratia ſufficiens eſt illa, quæ complet actum primum ad ſalutariter operandum, hujuſmodi autem complementum eſt ingens beneficium Dei, ſiquidem eſt baſis, ac fundamentum totius ędificii ſpiritualis, & quod gratia ſufficiens ſit pure ſufficiens, & non ſit efficax, id non habet de ſe, ſed ex culpa voluntatis; ad eum modum, quo habere oculos, ſeu ſufficientiam ad videndum eſt magnum beneficium in ordine naturali, quod ſi quis claudendo palpebras non videat, is non debet carentiam viſionis aſcribere oculis, aut Auctori naturæ, ſed ſibi, qui non vult uti oculis ad videndum; idcirco debemus petere à defectu noſtræ cooperationis miſericorditer liberari.

GULA.

299. QUæritur. An ſit licitum comedere propter voluptatem cibum neceſſarium ad ſuſtentationem vitæ?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia finis voluptatis ſubordinatur fini neceſſitatis, tum quia ex eo, quod quis comedat

propter voluptatem cibum moderatum, aut neceſſarium, non ſequitur, quod comedat uſque ad ſatietatem, & propter ſolam voluptatem, qui ſunt termini contenti in propoſ. 8. inter damnatas ab Innoc. XI.

300. Quæritur. An damnationi ſubjaceat opinio aſſerens: comedere, & bibere uſque ad ſatietatem non eſſe peccatum, dummodo non obſit valetudini?

Reſp. Immoderati cibi manducationem, ſive ſatietatem eſſe per ſe motivum hujus damnationis, & merito ea 8. propoſitio damnatur, propterea quod aſſerit, nullum eſſe peccatum comedere, & bibere uſque ad ſatietatem, nam ex ſententia multorum SS. Patrum peccatum veniale gulæ committitur, cum in ipſa quantitate ſumendi, menſura refectionis exceditur, etiam ſi valetudini non noceat.

301. Quæritur. An ſit licitum comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, dummodo non obſit valetudini?

Reſp. Opinio docens, eſſe licitum comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, nullum eſſe peccatum, ſub eadem damnatione comprehenditur; ratio eſt, quia finis, & ordo à natura inſtitutus in comeſtione eſt, quod comeſtio fiat propter ſuſtentationem vitæ, unde fit, quod qui comedit non propter vitæ ſuſtentationem, ſed ob ſolam voluptatem, pervertit finem, & ordinem naturæ, & per conſequens peccat venialiter.

302. Quæritur. An comprehendatur ſub damnatione opinio aſſerens, quod licitè poſſit appetitus naturalis ſuis actibus frui?

Reſp. Ea propoſitio ſumpta in ſuo ſenſu univer-

univerſali ſub damnatione comprehendi-tur; & quidem ſi talis propoſitio non exprimeretur in dicta 8. propoſitione damnata, ea maneret reprobata, ſeu antiquata, nam ſi conſequens eſt falſum, & reprobatione dignum, antecedens debet etiam eſſe falſum, & dignum reprobatione; cum ergo ea propoſitio univerſalis: *licite poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*; ſit antecedens, undè legitimè infertur, quod licet comedere, & bibere ob ſolam voluptatem, fit, quod reprobato hoc conſequenti, reprobatum etiam maneat antecedens, ſcilicet dicta propoſitio univerſalis.

303. Quæritur. An ſit damnata opinio aſſerens, nullum eſſe peccatum audire muſicam, res pulchras inſpicere, & aromata odorari, tabacum ſumere?

Reſp. Omnia delectabilia habere pro regula neceſſitatem congruentiæ, quare omnia debent aſſumi ſecundùm finem ſuum, ad quem ſunt ordinata, nempè ad eam neceſſitatem ſublevandam; audiuntur concentus muſici ad triſtitiam fugandam, tabacum ſumitur, olfiunt aromata, quia utilia ad capitis purgatioaem, & confortationem, inſpiciuntur res pulchræ, quia utile eſt habere ſcientiam experimentalẽ rerum omnium ad rectè gubernandam vitam, dum talis ſcientia nihil affert nocumenti; aſſumuntur etiam hæc delectabilia, pro honeſta recreatione, & levamine naturæ ab his, qui labori incumbunt; qui autem illa delectabilia aſſumunt propter ſolam delectationem, deficiunt à ſupradicta regula rationis, & peccant venialiter contra preſcriptũ temperantiæ, & per conſequens dicendum eſt, opinionem docentem; nullum eſſe pecca-

tum, aſſumere ea delectabilia propter ſolam voluptatem; manere damnatam non formaliter, & expreſsè, ut conſtat ex diverſitate propoſitionis 8. quæ non includit formaliter hanc, de qua agitur, ſed tantùm virtualiter, nam ut dictum eſt in precedenti reſolutione, damnata manet (a propoſitio univerſalis: *licet poteſt appetitus naturalis ſuis actibus frui*; id eſt illos elicere propter ſolam voluptatem.

HORÆ CANONICÆ.

304. Quæritur. An præceptum recitandi horas canonicas verſetur circa materiam dividuam?

Reſp. Affirmativè, ratio eſt, quia tale præceptum dividitur in ſeptem horas canonicas.

305. Quæritur. An qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, tenetur ad reliquas horas?

Reſp. teneri, ratio eſt, quia quando materia præcepti non eſt individua, qui non poteſt implere totam materiam precepti, tenetur ad partem, quam poteſt; materia enim hujus præcepti recitandi horas canonicas, ut dictum eſt, non eſt individua, propterea qui non poteſt recitare Matutinum, & laudes, tenetur ad reliquas horas quas poteſt, ſive teneatur ex juſtitia, ſive non, ut patet manifeſtè ex propoſitione 34. inter damnatas ab Innoc. XI.

306. Quæritur. An ægrotus, qui non poteſt recitare matutinum, & laudes, & dubitat an poſſit reliquas horas, teneatur ad illas?

Reſp. Quando certum eſt, ægrotum non poſ-